

**PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO**

Quaestiones fundamentales



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

1965

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Quaestiones fundamentales

In sessione confidentiali, quae, SANCTO PATRE approbante, habita fuit in Palatio Apostolico Vaticano die 12 novembris 1963, Eminentissimi Domini Cardinales Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo convenerunt initium dari posse modo privato laboribus praeparatoriis.

Nunc iidem Cardinales informantur de iis quae hucusque facta sunt et rogantur quid sentiant agendum esse quoad futurum.

Mense aprili 1964 nominati sunt Consultores, ex peritis in iure in variis partibus mundi selecti et, decursu sequentium mensium, occupata est tota sedes Officiorum Commissionis in Palatio Convertendorum, ubi collocata sunt omnia Archiva ad Codicem Iuris Canonici se referentia.

Interim Exc.mo Domino Iacobo Violardo, nominato Secretario S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, successit tanquam Secretarius Commissionis Rev. mus Pater Raimundus Ridagor, S. I.

Die 6 maii huius anni, in propria Commissionis sede, locum habuit, de consensu Beatissimi Patris, sessio confidentialis Consultorum. Huic praefuit Em. mus Praeses Commissionis, Cardinalis Ciriaci, qui initium dedit legens sequentem nuntium telegraphicum Suae Sanctitatis:

« Dilecto Filio Nostro PETRO S. R. E. Cardinali CIRIACI Praesidi Pontificii Consilii Codicis Iuris Canonici recognoscendi:

Primum convenientibus, te duce et auspice, Consultoribus istius Pontificii Consilii ut ad praegrave inceptum apparandum ad quod vocati estis simul conferatis studia, dum commotae mentis affectu Decessorem Nostrum Ioannem XXIII commemoramus, qui magnum istud opus Codicis Canonici Iuris recognoscendi prospexit et statuit, Te, dilecte fili noster, tuosque sollertes adiutores, qui ad commissos labores nunc privata ratione aggredimini, ominibus votisque prosequimur, vobis

laeta et prospera cuncta percupimus, superna auxilia et prudentia plena consiliis a Deo invocamus, animos viresque adicientes ut ad suscepti officii partes explendas iusti rectique summa diligentia incumbatis, e quibus dignum Oecumenico Concilio Vaticano II sertum et universae Ecclesiae Catholicae amplissimae utilitates profiscantur oportet. Dum te certiorrem facimus, Nobis gratissimum fore cum vox omnes coram admitemus, simul ac publicorum conventuum initium feceritis, caelestis sapientiae copiam vobis a Deo petimus, atque propensae voluntatis nostrae pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus - PAULUS PP. VI ».

Devotissimo et profundissimo omnium plausu probata est sequens grati animi telegraphica expressio, a Cardinali Praeside proposita :

« SANCTITATI SUAE PAULO PAPAE VI - Consultores Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, ex omnibus mundi regionibus selecti a Sanctitate Vestra, quae antea ipsam Commissionem novis additis Cardinalibus membris universaliorum reddiderat, hodie coadunati in propria sede, ab eadem Sanctitate Vestra benigne assignata, profundissima commotione expressivum ac benevolum nuntium telegraphicum Vestrae Sanctitatis receperunt et pro eo humillimas et devotissimas agentes gratias, profitentur absolutam oboedientiam devotionemque Vestrae Sacrae Personae, atque promittunt se omnibus viribus adlaboraturos, ut eorum opera, supremo Dei auxilio ac sapientissimo ductu Christi Vicarii, optatum felicemque exitum assequantur, ita ut satisfiat apostolicis votis Sanctitatis Vestrae, quae opus historicum recognitionis Codicis Iuris Canonici inter praecipua intenta Sui Pontificatus publicis documentis annuntiavit - CARDINALIS CIRIACI ».

Em. mus Praeses statuit deinde puncta fundamentalia studio Consultorum committenda ut ea pararentur quae Eminentissimis membris Commissionis in eorum primis sessionibus inseruire possent. Fuerunt, et Consultores convenerunt: 1) Quaestio utrum unus an duo Codices faciendi sunt, unus pro Orientalibus et alter pro aliis, praemisso Codice quodam Fundamentali; 2) Redactio alicuius Ordinis, indicantis modum quo Commissio eiusque organa procederent 3) Divisio laboris, magni quidem, pro recognitione Codicis, variis Subcommissionibus, quae simul agerent, constituendis.

Pro studio horum trium punctorum proposita fuit ab Em.mo Praeside et ab aliis accepta constitutio trium Commissionum, characterem provisorium habentium, cuius membra ab ipsis Consultoribus essent eligenda. Haec electio locum habuit die sequenti, absente Em.mo Praeside, qui voluit ut Consultores tota agerent libertate. Membra electa fuerunt 9 pro prima Commissione Praeparatoria, 13 pro secunda, 15 pro tertia.

Secutae sunt tres sessiones partiales, unaquaeque pro respectiva Commissione. Istis omnibus intervenit Em.mus Praeses et secuta est discussio, in qua membra ample et libere locuti sunt. Deinde Praeses proposuit electionem Relatoris pro unaquaque Commissione, quae electio facta est ipso absente. Electi fuerunt: Rev.mus Pater DANIEL FALTIN pro prima Commissione, Rev.mus (nunc Exc.mus) AURELIUS SABATANI pro secunda et Rev.mus Pater IOSEPH ROUSSEAU pro tertia. Hos tres die 1 iunii Em.mus Praeses coadunavit ut efficienter labores procederent.


Mensibus iulii et augusti Relatores se posuerunt in contactu cum membris suae Commissionis, quibuscum factae sunt etiam sessiones Romae.

Die 4 octobris Em.mus Praeses convocavit iterum Relatores, praesentibus Rev.mo Secretario et officialibus Commissionis, invitans singulos tres ad remittendas Relationes conclusivas.

Nuper pervenerunt istae tres Relationes, illustrantes tria puncta supra delineata, quae Relationes simul cum hoc Folio Eminentiss Vestris submituntur. Agitur certe de materia ampla et complexa, pro qua discutienda fortasse necessaria apparebit plus quam una sessio. Eminentiss Vestrae decident. Interim rogantur ut respondere dignentur ad quae sequuntur


DUBIA

- I. *An conficere expediat unum vel duplicem Codicem Iuris Canonici, distinctum pro Orientalibus et pro aliis, simul cum aliquo Codice Fundamentalii.*
- II. *An possit esse basis studii Codicis Fundamentalii textus in prima Relatione propositus.*
- III. *An parandus sit Ordo quo labores procedant sicut in secunda Relatione indicatur.*
- IV. *An et quomodo approbanda sit divisio materiae pertractandae prout in tertia Relatione suggeritur.*



RELATIO

PRIMAE COMMISSIONIS PRAEPARATORIAE
CONSULTORUM PONTIFICIAE COMMISSIONIS
CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO



I - RELATIO PRAELIMINARIS

Die 6 Maii 1965, in Aula Palatii Convertendorum, habitus est primus conventus plenarius Consultorum Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, cui Eminentissimus Card. *Petrus Ciriaci*, Commissionis Praeses praefuit. In hoc Consultorum coetu agebatur, praeter alia, de constituendis Commissionibus Praeparatoriis, quae deberent argumenta pro recognoscendo Codice Iuris Canonici et «Relationes», eadem breviter illustrantes, suppeditare, Commissioni Plenariae Eminentissimorum Cardinalium tradenda eorumque studio ac solutioni subiicienda.

Reapse, subsequenti die de gremio Consultorum constituta est prima Commissio Praeparatoria, quae 11 Consultoribus constat. Hi sunt:

Exc.mus D.nus *Dinus Staffa*, Secretarius S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus;

Exc.mus D.nus *Ildephonsus Sansierra*, Episcopus tit. Oriensis;

Ill.mus D.nus *Guilelmus Onclin*, Professor in Universitate Lovaniensi;

Ill.mus D.nus *Petrus Andrieu Guitancourt*, Decanus Facultatis Iuris Canonici Instituti Catholici Parisiensis;

Ill.mus D.nus *Georgius Bateh*, e Clero Patriarchatus Hierosolymitani Latinorum;

Ill.mus D.nus *Alvarus del Portillo*, Secretarius Commissionis «De disciplina Cleri et Populi christiani» Conc. Oecumenici Vaticani II;

Rev.mus Pater *Gregorius Anastasius Welykyj*, Secretarius Commissionis «De Ecclesiis Orientalibus» Conc. Oecumenici Vaticani II;

Rev.mus Pater *Petrus Tocanel*, Professor Pont. Universitatis Lateranensis;

Rev.mus Pater *Tarcisius Ariovaldo Amaral*, e Congregatione SS.mi Redemptoris;

Cl. mus D. nus *Pius Ciprotti*, Decanus et Professor Facultatis Iuris Civilis in Pont. Universitate Lateranensis;

Rev. mus Pater *Daniel Faltin*, Prof. Iuris Canonici Orient. in Pont. Universitate Lateran. et Adsistens Pont. Comm. CICO, renuntiatus est eiusdem Commissionis Praeparatoriae Relator.

Huic Commissioni Praeparatoriae concreditum est munus expendendi triplicem hypothesim de rationibus inter Codicem Iuris Canonici et Codificationem Iuris Canonici Orientalis intercedentibus, scilicet:

1) Utrum utile aut opportunum sit redigere unicum Codicem Iuris Canonici pro universa Ecclesia;

2) Utrum necessarium sit retinere duplicem Codicem Iuris Canonici, quorum alter Ecclesiam ritus latini, alter vero Ecclesias rituum orientalium respiciat;

3) Si altera hypothesis praevaleat, considerare oportebit utrum Codex fundamentalis, ius constitutionale Ecclesiae continens, confici possit, utriusque Codicis praemittendus;

4) Eidem Commissioni commissum est etiam munus, in casu quo consideranda sit hypothesis de Codice Fundamentali Ecclesiae, huius summa lineamenta exponendi.

Inde, infrascriptus Relator, litteris diei 20 iulii a. c., Prot. n. 195/65, totam rem studio Consultorum Commissionis proposuit una cum adnexo breve Schemate (cf. n. III, p. 23), in quo ordo quidam praebetur argumentorum, e quibus normae Iuris constitutionalis seu fundamentalis Ecclesiae constare possint. De quo parando in coetu Consultorum eiusdem Commissionis, die 7 maii a. c. habito, sermo fuit, ut in concreto videri possit, utrum possibile sit redigere huiusmodi Codicem fundamentalem pro universa Ecclesia, quia etiam de hac quaestione haec Commissio suas conclusiones atque argumenta Em. mis Cardinalibus porrigere debet.

Tandem, receptis Consultorum scripto exaratis responsionibus, confectaque circa easdem brevi synthesi, diebus 15 et 27 nuper elapsi mensis Septembris locum habuit Commissionis coadunatio, in qua de singulis quaestionibus facta est disceptatio.

Praeter ea, diebus 1 Iulii et 4 Octobris a. c., Relatores trium Commissionum speciales habuerunt sessiones, quibus ipse

Em.mus Praeses praefuit. In his sessionibus agebatur de laboribus uniuscuiusque Commissionis Praeparatoriae coordinandis. Em.mus Praeses Relatores continuo ac incessanter cohortatus est, ut maxima cum diligentia labores expendantur, pro quibus rite explendis Ipse Consultoribus et praesertim Relatoribus sapientissima consilia normasque practicas necnon principia generalia clara ac praecisa prompte et paterno animo praestare numquam omisit.

Haec, igitur, Commissio Praeparatoria munus sibi concrediditum privato singulorum Consultorum studio et communi consilio, iuxta modum supra expositum, explevit.

His praemissis, nunc iam opus est, ut, attente perpensis omnibus quae sive in scriptis sive oretenus in adunationibus a Consultoribus exposita sunt, quatenam sit huius Commissionis mens circa dictam triplicem hypothesim, referam.

II - DE HYPOTHESI UNIUS VEL DUPLICIS CODICIS ET DE CODICE FUNDAMENTALI

A) *Quoad primam hypothesim*: UTRUM UTILE AUT OPPORTUNUM SIT REDIGERE UNICUM CODICEM IURIS CANONICI PRO UNIVERSA ECCLESIA.

1. *Argumenta pro unico Codice*

Duo sunt Consultorum, scilicet Exc.mus Staffa et Rev.mus P. Tocanel, qui tenent utile et opportunum esse unicum redigere Codicem iuris canonici pro universa Ecclesia.

Hic Codex *unicus* seu *communis* debet continere principia generalia, leges generales Latinis et Orientalibus communes: sive de constitutione et regimine Ecclesiae, sive de gradibus sacrae Hierarchiae, sive de exercitio potestatis Supremae et subordinatae, sive de iuribus et officiis clericorum, religiosorum et laicorum, sive de rebus, de processibus et poenis; et quidem non modo leges divinas, verum etiam leges a legitima auctoritate conditas et consuetudines quae vim habent apud Latinos et Orientales, quibusque aliae novae addi possunt, prout accommodata renovatio Ecclesiae exigit (P. Tocanel).

Condito Codice communi, singuli ritus orientales et singulae

Conferentiae Nationales ritus latini, quae propria sunt disciplinae uniuscuiusque ritus et uniuscuiusque nationis, propriis synodis ordinabunt, approbante Summo Pontifice (Exc.mus Staffa).

Rationes ab Exc.mo Staffa et Rev.mo P. Tocanel adductae sunt sequentes :

a) *Unitas Ecclesiae Christi*, quae debet manifestari non modo in re dogmatica, verum etiam in re iuridica. Si viri politici et iurisperiti unum proponunt codicem pro Societate internationali, qui scilicet omnes afficiat Status, societates iuridice perfectas numerice distinctas, a fortiori theologi et canonistae debent agnoscere utilitatem et opportunitatem unius Codicis pro universa Ecclesia, qui afficiat omnes Ecclesias peculiare seu particulares, societates imperfectas et membra eiusdem societatis iuridice perfectae;

b) *Unitas mediolorum ad finem* : Tam Latini quam Orientales iisdem utuntur mediis ad finis consecutionem, sive agatur de sacramentis, sive etiam de locis sacris, de ecclesiis, de seminariis, de scholis. Sunt media quae possunt ordinari eodem modo pro omnibus fidelibus, independenter a ritu cui adscribuntur;

c) *Cura pastoralis, usus fori et scholae* : Haec tria clare demonstrant utilitatem, opportunitatem immo necessitatem unius Codicis, quia plerumque pastores curam gerere debent fidelium duorum vel trium rituum; in tribunalibus plerumque agitantur causae inter fideles diversi ritus; in seminariis et universitatibus catholicis plerumque lectores debent docere alumnos etiam quinque vel sex rituum;

d) *Paritas rituum* : Omnes ritus, latinus scilicet et orientales, aequales seu pares sunt, eundem consequuntur dignitatis gradum ac pari iure fruuntur, independenter omnino a numero fidelium. Ceterum, maior potest esse discrepantia inter disciplinam duorum rituum orientalium, quam inter disciplinam latinam et disciplinam unius alteriusve ritus orientalis;

e) *Unitas fundamenti disciplinae generalis* : Codex enim Ecclesiae latinae saepe refert disciplinam Ecclesiarum orientalium (can. 1), idest canones Conciliorum oecumenicorum vel localium in Oriente celebratorum, necnon plura Sanctorum Patrum praescripta. Quam ob rem, si Codex unicus seu communis plura de-

sumeret ex Codice latino, non haberetur latinizatio Orientalium, eo vel magis quod traditio orientalis lacunas habet;

f) *Conditio hodierna Orientalium*: Hodie plerumque Orientales: individui, familiae, coetus seu communitates vivunt extra patriarchatus, extra regiones orientales, extra territoria ritus orientalis, idest in territoriis latinis, consuetudinem habent cum latinis, haud raro non possunt proprium ritum sequi. Ideoque expedit ut habeatur Codex communis, qui clare determinet omnia quae Orientalibus et Latinis sunt communis.

2. *Argumenta contra unicum Codicem*

Contra redactionem unici Codicis communis, in sensu supra explicato, sunt ceteri omnes huius Commissionis Praeparatoriae Consultores, videlicet: Exc.mus Sansierra; Ill.mi Onclin, Andrieu Guitancourt, Bateh, Del Portillo; Rev.mi Welykyj et Amaral; Cl.mus Ciprotti et P. Faltin.

Licet nonnulli ex hisce recensitis Consultoribus non negant quaedam commoda e redactione unici Codicis pro universa Ecclesia sequi posse « ad unitatem Ecclesiae Christi melius manifestandam » (del Portillo et Bateh), « ad missionem apostolicam Ecclesiae aptius explicandam » (Bateh) necnon « ad usum fori et scholae » (Ciprotti), *omnes* tamen censent redactionem unici Codicis pro universa Ecclesia in praesenti, necnon temporibus proxime futuris, non esse opportunam, immo nec utilem (Welykyj).

Verum, cum Ecclesiae unitas non necessario secumferat et iuridicae disciplinae unitatem et, eo minus, in re disciplinari *uniformitatem*, sequentes profecto a Consultoribus expositae considerandae sunt rationes:

a) *Ex historia Codificationis Iuris Canonici Orientalis*, uti notum est, sat clare eruitur, conatum redigendi Codicem unicum communem pro universa Ecclesia, de quo hactenus non semel actum est, numquam favorem ab Hierarchis rituum seu Ecclesiarum Orientalium obtinuisse, immo et a Supremo Legislatore reiectum fuisse (Faltin);

b) *Plurima Sedis Apostolicae documenta*, nova et vetera, necnon Concilii Oecumenici Vaticani II Constitutio dogmatica « De Ecclesia » atque Decreta « De Ecclesiis Orientalibus » et

« De Oecumenismo » magnum exhibent obsequium erga Ecclesiarum orientalium disciplinam, salva quidem unitate in necessariis; sed redactio Codicis unici pro Ecclesia universa et his criteriis adversari videtur et a multis intelligi posset tamquam conatus « latinizationis » Ecclesiarum orientalium (del Portillo, Onclin, Welykyj et Bateh);

c) *Morum divertis*, quae viget usque ad hodiernos dies in Ecclesiis rituum orientalium « unitati Ecclesiae minime obstat, immo decorem eius auget et ad missionem eius implendam non parum confert » (Decr. « De Oecumenismo », n. 16); quod principium confirmatur praxi constanti Sedis Apostolicae (Bateh et Faltin);

d) *Ecclesia traditio*: Unicus Codex, Ecclesiam latinam simul et Ecclesias orientales respiciens, contrarium esset stabilitae in Ecclesia traditioni, cuius fundamentum est magna diversitas inter varios ritus, quibus scilicet non tantum propria Liturgia, sed etiam interna ordinatio atque iuridicae institutiones propriae sunt (Onclin). Quae omnia in Concilio Oecumenico Vaticano II agnita atque sollemniter confirmata sunt, ita ut « Ecclesiae Orientis sicut et Occidentis iure pollere et officio teneri se secundum proprias disciplinas peculiare regendi » (Decr. « De Eccl. Orient. », n. 5) (Onclin, del Portillo, Welykyj, Bateh et Faltin);

e) *Huic accedit ratio oecumenica*: Plures enim fratres seiuncti, praesertim ex Oriente, novum forte obstaculum inveniunt, si Codex unicus redigeretur; etenim Concilium Vaticanum II sollemniter declarat: « Sciant ac pro certo habeant omnes Orientales, se suos legitimos ritus liturgicos *suamque* disciplinam semper servare posse ac debere » (Decr. « De Eccl. Orient. », n. 6), cui principio obstare videtur redactio unici Codicis, ab omnibus servandi (del Portillo, Onclin, Welykyj). Igitur introductio unius Codicis esset error psychologicus, qui non parum noceret causae oecumenismi (Onclin);

f) *Ecclesia distinctio*: Nec obiici valet magnas hodie tribui partes Conferentiis Episcoporum Nationalibus, quarum igitur esset ea statuere quae, praeter ius commune omnibus Ecclesiis, unicuique Ritui sunt propria. Etenim, Episcoporum Conferentiae Nationales indolem habent territorialem, quam nullatenus habent nec Ecclesia latina neque Ecclesiae orientales, quae quidem *non territorialiter sed ritualiter sunt inter*

se distinctae. Hanc ob rationem leges Ecclesiae latinae *ubique terrarum* ligant eos pro quibus latae sunt (CIC, can. 13 § 1), et similiter leges Ecclesiarum orientalium promulgatae vim legis habent pro Christifidelium Ecclesiarum orientalium « *ubique terrarum* hi sunt et tametsi Praelato diversi ritus sunt subiecti » (cf. Clausulae finales MM. PP. CICO) (Onclin). Si Conferentiis Episcoporum Nationalibus concedatur facultas leges ferendi, iure meritoque timenda est multiplicatio legum et « provincialisatio » legislationis ecclesiasticae in Ecclesia latina, e quibus haud difficile sequi posset logicus contempus totius legislationis ecclesiasticae (del Portillo et Ciprotti);

g) *Orientalium timor*: Maior pars Orientalium catholicorum in praesenti unicum Codicem timet (Welykyj);

h) *Rationes* in favorem Codicis unici adductae non videntur sufficientes et evincentes; immo potius in formalibus haerent et saepe ob quamdam pigritiam postulatur, ut omnia habeantur prae manibus, in unico libro, etc. (Welykyj);

i) *Rationibus « practicis »*, a fautoribus Codicis unici adductis, satis provideri posset mediis typographicis et editorialibus (Welykyj).

B) *Quoad secundam hypothesisim*: UTRUM NECESSARIUM SIT RETINERE DUPLICEM CODICEM IURIS CANONICI, QUORUM ALTER ECCLESIAM RITUS LATINI, ALTER VERO ECCLESIAS RITUUM ORIENTALIUM RESPICIAT.

1. *Argumenta contra duplicem Codicem*

Consultores (Exc.mus Staffa et Rev.mus P. Tocanel), qui tenent utile et opportunum esse redigere unicum Codicem pro pniversa Ecclesia, censent, non esse necessarium retinere duplicem Codicem. Nam:

a) Forte hierarchia uniuscuiusque ritus mavult in ambitu Ecclesiae orientalis illa ampliori autonomia legislativa uti, qua frueretur vi Codicis communis, et forte aegre fert disciplina unius Codicis Orientalis se obligari (Exc.mus Staffa);

b) Ecclesiae particulares ius et facultatem retinere possunt « se secundum proprias seu peculiare disciplinas regendi » (Tocanel);

c) Codex unicus non nocet causae oecumenismi seu redintegrationi unitatis Ecclesiae Christi (Exc.mus Staffa et P. Tocanel).

2. *Argumenta pro conservatione duplicis Codicis*

I. Consultores, qui tenent inopportunum vel haud utile esse conficiendi unicum Codicem iuris canonici pro universa Ecclesia, sustinent necessitatem retinendi duplicem codicem, quorum alter Ecclesiam latinam, alter vero Ecclesias rituum orientalium respiciat. Quo in casu, iuxta mentem eorundem Consultorum, expedit ut Codex iuris constitutionalis seu fundamentalis redigatur, utrique Codici praemittendus, de quo statim infra in tertia hypothesis sermo erit.

Praecipuae rationes quae suadent, ut retineatur duplex Codex hae sunt:

a) Divinae institutioni Ecclesiae non nocet varietas legum quae respiciunt constitutionem, regimen et disciplinam iure *mere* ecclesiastico vel consuetudine introductam, tam in Ecclesia latina quam in Ecclesiis orientalibus, quippe quae moribus, culturae et ingenio suorum fidelium magis sint congruae atque ad bonum animarum consulendum aptiores videantur. Huiusmodi leges iure *mere* ecclesiastico vel consuetudine introductae contineri deberent in respectivo Codice, scilicet in Codice latino pro latinis et in Codice orientali pro orientalibus, salvo tamen iure fundamentali seu constitutionali pro universa Ecclesia (Bateh, Onclin, Faltin). Hoc criterium congruit universae traditioni et convenit cum principiis quae sive in Constitutione dogmatica « De Ecclesia » (cf. n. 32) sive in Decretis « De Ecclesiis Orientalibus » (n. 5) et « De Oecumenismo » (n. 16) enuntiantur (Onclin, Welykyj et Bateh);

b) Duplici Codice melius consulitur necessitatibus oecumenismi, nam ex dialogo oecumenico « etiam clarius innotescet, quae sit revera Ecclesiae catholicae conditio » (Decr. « De Oecum. », n. 9), cum ita clare ostenditur mens Ecclesiae servandi unicuique Ecclesiae, Occidentali scilicet et Orientalibus, propriam disciplinam (Onclin, Welykyj, Bateh et del Portillo);

c) Unitas non idem significat ac aequalitas, sed bene componitur cum legitima disciplinae diversitate, salva fidei unitate et unica divina constitutione universalis Ecclesiae, prouti ipse

Summus Pontifex Paulus VI, fel. reg., pluries in omnium mentem revocavit (del Portillo);

d) Tandem, fidei unitas et unica divina constitutio universalis Ecclesiae apte exprimi potest in Codice fundamentalis, communi consensu totius Ecclesiae condendo (omnes).

II. Ut autem mens huius Commissionis Praeparatoriae magis pateat, quod attinet ad conservationem duplicis Codicis et reductionem Codicis iuris constitutionalis seu fundamentalis Ecclesiae, sequentia notentur oportet:

1) *Quoad Codicem iuris canonici pro Ecclesia latina*: Arduum sane munus fuit e multiplicitate et varietate fontium iuris canonici unum conficere fontem, scilicet Codicem Iuris Canonici; nec minus arduum erit munus Codicem Iuris Canonici reformandi. Necessitas recognoscendi Codicem in dubium vocari nequit sive propter progressum doctrinae canonisticae et ecclesio-logiae sive propter rationes pastorales, quae ex omnibus fere regionibus orbis catholici prolatae et in Concilio Vaticano II a Patribus expositae revisionem Codicis expostulant.

At quaestio est de materia quae in Codice Iuris Canonici recognoscendo contineri deberet. Huius Commissionis autem mens est, ut in Codice iuris canonici pro Ecclesia latina contineantur normae quaedam generales quae constitutionem, regimen et disciplinam, iure *mere* positivo ecclesiastico vel consuetudine introductam, respiciunt, relictis aliis, et quidem non paucis, quae a Conciliis provincialibus et regionalibus necnon Synodis dioecesanis vel a singulis Conferentiis Episcopalibus Nationalibus, attentis locorum, temporum et personarum necessitatibus, aptius determinari possent.

2) *Quoad Codicem iuris canonici pro Ecclesiis orientalibus*: Nemo est qui ignoret, non paucas neque parvi momenti difficultates pro condendo CICO adfuisse, propter varias diversique generis rationes. Revera, innumera sunt Codificationis iuris canonici orientalis beneficia pro singulis Ecclesiis. Etenim, hodie mutuus amor inter Orientales regnat in bonum et gloriam catholici nomnis. Experiuntur catholici diversorum rituum, in eodem territorio existentium necessitatem colligendi vires ad institutionem et educationem catholicae iuventutis, ad unifor-

mem efficiendam actionem Ecclesiae in societatem civilem, ad praecavendos fideles ab errore et ut in fide corroborentur. Quae omnia requirunt et praesupponunt frequentia inter Hierarchas diversorum rituum mutua consilia, et Synodorum plurium rituum celebrationem valde commendant (cf. Faltin, in *Dictionarium morale-iuridicum*, Romae 1962, pp. 719-722).

Attamen, considerata diversitate disciplinae quae viget in singulis Ecclesiis orientalibus, praesertim quae hucusque promulgata non est, quaeritur utrum opportunum sit, ut *Codex unicus* pro omnibus Ecclesiis orientalibus conficiatur. Quamvis Ecclesiis orientalibus non pauca neque parvi momenti instituta communia sint, e. g. Institutum Patriarchale, Archiepiscopatus Maioris, Monachale etc.) nihilominus adsunt in re disciplinari differentiae (v. g. inter ritum Armenum et Copticum; inter Byzantinòs et Maronitas etc.), quae in lege ferenda animadvertenda sunt.

Quam ob rem, ne auctoritas legis detrimentum patiatur et ne Orientales sese gravatos putarent necnon ne spes instaurandae unionis cum fratribus seiunctis evanesceret, mens huius Commissionis est, ut in condendo Codice Iuris Canonici Orientalis eae tantum normae iuris mere ecclesiastici et legitimae consuetudines contineantur, *quae omnibus Ecclesiis Orientalibus vere communes sint*, atque singulis Ecclesiis relinquatur ut ius suum particulare codificent, teste Concilio Oecumenico Vaticano II (cf. Const. « De Ecclesia », n. 32; Decr. « De Eccl. Orient. », n. 5 et « De Oecumenismo », n. 16).

3) *Quoad Codicem constitutionalem seu fundamentalem Ecclesiae universae*: Nomine iuris constitutionalis seu fundamentalis Ecclesiae intelliguntur normae seu « complexus legum divinarum quibus Constitutio (i. e. potestas eiusque subiectum) Ecclesiae ut societatis perfectae ordinatur » (cf. Wernz, *Ius Decretium*, vol. VI, Romae 1905, n. 50).

Inde Codex fundamentalis universae Ecclesiae complecti deberet eas imprimis normas, quibus constitutio Ecclesiae in iure divino fundatur, atque aequo modo illas normas, quae antiqua traditione ecclesiastica nituntur. Qui Codex in duas partes dividatur oportet, quarum: Pars I. De Constitutione Ecclesiae; Pars II. De Regimine Ecclesiae, agat.

Breviter, tota legislatio Ecclesiae hoc modo ordinari posset:

- I. CODEX CONSTITUTIONALIS SEU FUNDAMENTALIS UNIVERSA ECCLESIAE
- II. CODEX SEU IUS COMMUNES PRO ECCLESIA LATINA
- III. CODEX SEU IUS COMMUNES PRO ECCLESIIS ORIENTALIBUS.

Servato, igitur, uti supra dictum est, duplici Codice, quorum alter Ecclesiam ritus latini, alter vero Ecclesias rituum orientalium respiciat, utrique Codex constitutionalis seu fundamentalis universae Ecclesiae praemittendus videtur.

Quaenam autem sit huius Commissionis Praeparatoriae mens, Codicem fundamentalem Ecclesiae quod spectat, hoc statim infra dicetur.

C) *Quoad tertiam hypothesis*: SI ALTERA HYPOTHESIS PRAEVALEAT, CONSIDERARE OPORTEBIT UTRUM CODEX FUNDAMENTALIS, IUS CONSTITUTIONALE CONTINENS, CONFICI POSSIT, UTRIQUE CODICI PRAEMITTENDUS.

Consultores qui sunt *contra* redactionem unici *Codicis* (cf. p. 13, n. 2) et *favent* secundae hypothesisi (cf. p. 16, n. 2), censent confectionem Codicis constitutionalis seu fundamentalis pro universa Ecclesia possibilem immo et necessariam esse, licet elaboratio huiusmodi Codicis difficultates non parvas praesentat.

1. *Argumenta in favorem Codicis fundamentalis*: Confectio Codicis fundamentalis est possibilis, immo et necessaria propter has praecipue rationes:

a) *Unitas Ecclesia Christi*: Melius eluceret unitas Ecclesiae si in unum colligantur illa quae omnibus communia sunt, quaeque exstant veluti fundamentum unitatis in legitima diversitate (del Portillo, Welykyj, Onclin, Sansierra, Bateh, Ciprotti, Andrieu-Guitancourt etc.);

b) *Necessitas pastoralis*: Decet enim, ut principia fundamentalia iuridica scripta habeantur, e quibus clare constet tum Ecclesiae structura, tum summa iurium et officiorum, quibus christifideles in universa Ecclesia, sine distinctione Ritus, adstringuntur (omnes);

c) *Dialogus oecumenicus*: Codex fundamentalis pro universa Ecclesia oecumenismo favet, nam clare in ipso determinari possunt illa quae pertinent ad constitutionem unice Christi Ecclesiae; ex quo fratres seiuncti bene cognoscere valebunt quod sit *fundamentum* ab omnibus accipiendum et quae, e contra, *liberae determinationi* Ecclesiarum particularium (Occidentis et Orientis), sub auctoritate Supremi Legislatoris relinquuntur; ideo Codex fundamentalis multum confert ad maiorem claritatem habendam in dialogo oecumenico (omnes);

d) *Ad suspicionem « latinizationis » tollendam*: Si Codex fundamentalis, ius constitutionale Ecclesiae continens, redigatur, nemo unquam dicere audebit, Sedem Apostolicam velle imponere Ecclesiis orientalibus disciplinam Ecclesiae Latinae; nam sub Codice fundamentalis, unicuique Codici particulari, Latino, videlicet et Orientali, praemittendo, plures disciplinae et respectivi Codices particulares stare possunt, quod non obtinetur si Codex communis, in sensu ab Exc.mo Staffa et Rev.mo P. Tocanel explicato (cf. p. 11, n. 1), conficiatur (omnes).

2. *Contra hypothesim* conficiendi Codicem fundamentalem moveri possent nonnullae difficultates, quae ex tali Codice defluunt. Etenim, in conficiendo tali Codice fundamentalis, necessario moveri et solvi deberent quaedam quaestiones, quas nunc movere et solvere quibusdam minus opportunum videri potest, eo quod in eo, prae aliis, tractari deberet quaestio ordinationis potestatis: scilicet, ordinari deberet exercitium potestatis centralis in Ecclesia atque habitudo inter auctoritatem centram et auctoritatem Legislatorum inferiorum, tam in Ecclesia Latina quam in Ecclesiis Orientalibus. Praeterea, pertractari deberet etiam quaestio de loco qui tribuendus est Patriarchis: utrum nempe hi supra Cardinales praecedentiam habeant vel minus (Onclin).

Respondeo dicendum: Si huiusmodi difficultates profundius perpendantur, non videntur esse tam graves nec tanti momenti, ut obstare possint quominus Codex fundamentalis confici valeat (Faltin).

3. *Quoad ipsum Codicem fundamentalem*, haec prae oculis habenda esse videntur:

a) Licet ecclesiologia nostri temporis multum progressa

sit, qui sane felix progressus non potest influxum non exercere in determinatione rerum iuridicarum, curandum tamen est ut Codex fundamentalis sit *vere iuridicus* (del Portillo), non autem expositio quaedam theologica vel phylosophica de Ecclesiae natura. Ratio, quia Legislatoris non est phylosophicas vel theologicas tradere doctrinas, et multo minus huiusmodi dirimere quaestiones disputatas, sed normas practicas de ordinatione Ecclesiae statuere quae vere leges sint (Onclin);

b) Sicut omnis lex constitutionalis in iure Civitatum, ita etiam Codex fundamentalis Ecclesiae universae adhibere debet methodum non compilationis, uti aiunt, sed methodum codificationis (Onclin);

c) Hic Codex contineat oportet sub forma canonum seu articulorum (Welykyj) omnia quae, cum ex iure divino tum ex antiqua communi traditione ecclesiastica, ad Ecclesiae constitutionem pertineant (Onclin, del Portillo, Welykyj);

d) Agat etiam de habitudine inter Ecclesias particulares, de qua in M. P. *Cleri sanctitati*, diei 2 iulii 1957, in cann. 1-15 iam plura continentur (Faltin);

e) Talis Codex, utpote qui normas fundamentales continere debeat, prius redigendus videtur quam ceteri alii Codices — Codex nempe pro Ecclesia latina alter et alter pro Ecclesiis orientalibus —, ut clare scire possit quae leges in huiusmodi Codicibus includendae sint et qua ratione redigi debeant (del Portillo);

f) Valde expedit, ut munus redigendi Codicem constitutionalem seu fundamentalem pro universa Ecclesia cuidam speciali concrederetur Commissioni, quae Commissio constare deberet e Consultoribus Pontificiae Commissionis de CIC recognoscendo et Consultoribus Pontificiae Commissionis pro CICO redigendo, audita seu consulta prius Hierarchia tam ritus latini quam rituum orientalium; huic ommissioni speciali adiungendi essent viri vere periti in ecclesiologia ceterisque sacris materiis connexis (Welykyj, Onclin, Ciprotti, Faltin et alii).

CONCLUSIO

Prouti ex supra allatis Consultorum responsionibus sat clare apparet, absolute maior pars Consultorum huius Commissionis Praeparatoriae censet:

a) nec utile nec opportunum esse redigere unicum Codicem Iuris Canonici seu *Codicem communem*, tam pro Latinis quam pro Orientalibus, in sensu ab Exc.mo Staffa et Rev.mo P. Tocanel proposito (cf. p. 11, sub A, n. 1);

b) necessarium esse retinere duplicem Codicem Iuris Canonici, quorum alter ecclesiam ritus latini, alter vero Ecclesias rituum orientalium respiciat, iuxta ea quae in pp. 16-19, sub B, n. 2 fuse lateque dicta sunt;

c) possibile esse conficere *Codicem constitutionalem seu fundamentalem universae Ecclesiae*, utrique Codici praemitendum, de quo in pp. 19-21, sub C, nn. 1-3 agitur.

Fortasse quis iam quaeri posset: Quanam sit differentia inter *Codicem communem* et *Codicem constitutionalem seu fundamentalem Ecclesiae*?

Differentiae praecipuae hae sunt:

a) Dum *Codex communis*, ad mentem Exc.mi Staffa et Rev.mi P. Tocanel, complecti deberet totam disciplinam universae Ecclesiae, et quidem *non modo leges divinas, sed etiam principia generalia, leges generales Latinis et Orientalibus communes mere ecclesiasticas*: sive de constitutione et regimine Ecclesiae, sive in gradibus sacrae Hierarchiae, sive de exercitio potestatis Supremae et subordinatae, sive de iuribus et officiis clericorum, religiosorum et laicorum, sive de rebus, de processibus et de poenis; *Codex constitutionalis seu fundamentalis*, e contra, iuxta sententiam omnium aliorum huius Commissionis Consultorum, continere deberet *ius divinum et humanum vetusta traditione traditum*, quo ius divinum quodammodo integratur ita ut ex una parte affirmetur *unitas et unitas* Ecclesiae Christi et, ex altera parte, ut ostendatur *fundamentum diversitatis disciplinarum peculiarium* quae progressu temporis, servata fidei unitate et unica divina constitutione universalis Ecclesiae, introductae et hucusque in Ecclesia servatae sunt; continere deberet praesertim normas quibus ordinatur exercitium potestatum in Ecclesia, potestatis scilicet legislativae, administrativae et iudicariae (Onclin).

b) *Codex communis* excludit necessitatem retinendi duplicem Codicem, quorum alter Ecclesiam ritus latini, alter vero Ecclesias rituum orientalium respiciat; *Codex vero fundamentalis Ecclesiae* admittit duplicitatem Codicis, latini scilicet et orientalis, qui Codices amplecterentur leges *mere* ecclesiasticas, iuxta ea quae in pp. 17-18, nn. 1-3 exposita sunt.

III - DELINEATIO IURIS CONSTITUTIONALIS ECCLESIAE

PREAMBULUM SEU INTRODUCTIO: *De fundamento dogmatico iuris canonici.*

Pars I

DE CONSTITUTIONE ECCLESIAE

A) De Ecclesiae natura, origine et fine.

B) De proprietatibus essentialibus Ecclesiae:

- a) unitas
- b) sanctitas
- c) catholicitas
- d) apostolicitas.

C) *Fundamentum unitatis Ecclesiae in se:*

1) Unitas Ecclesiae constituitur per baptismum:

a) Baptismo, qui est initium salutis et ianua Ecclesiae, homo unitur imprimis Christo per fidei liberam optionem et, consequenter, cum Ecclesia societate externa. Per baptismum et fidem fit homo subditus potestati Ecclesiae.

b) Fundamentum igitur personalitatis in Ecclesia, cum iuribus et officiis propriis baptizatorum, est sacramentum baptismi.

2) Unitas quoque Ecclesiae constituitur per Verbum Domini in unitate fidei et regiminis:

a) *Unitas fidei* habetur per Verbum Domini in Sacra Scriptura et in Traditione contentum.

b) Annuntiatio Verbi Dei est obiectum magisterii Ecclesiae.

c) Inter fidei depositum et ius naturale relatio adest necessaria, ideoque ius naturale obiectum quoque est magisterii ecclesiastici.

d) *Unitas regiminis*, e voluntate Domini, generatur per unitatem Episcopatus sub unico Capite, tamquam Christi Vicario.

e) Corpus autem Episcoporum sub auctoritate eiusdem Capituli, i. e. Supremi Ecclesiae Pastoris, fundamentum unitatis hierarchici regiminis constituit.

f) Officium hierarchicum secumfert functionem legislativam, iudicalem et executivam.

g) Dispositiones vero aut generales et perpetuae esse possunt (*leges*); aut in casibus particularibus latae (*praecepta*).

D) *Constitutio Ecclesiae unae, sanctae, catholicae et apostolicae in sua extensione seu universalitate spectata.*

1) Ecclesia habet in se ipsa, per gratiam Spiritus Sancti, characterem universalem, quo salutem supernaturalem omnibus hominibus communicare intendit.

2) « Ad universas regiones extendenda, in historia hominum intrat, dum tamen tempora et fines populorum transcendit » (« De Eccl. », n. 9).

3) « Universalitatis character, qui populum Dei condecorat, ipsius Domini donum est, quo Ecclesia catholica efficaciter et perpetuo tendit ad recapitulandam totam humanitatem cum omnibus bonis eius, sub Capite Christi, in unitate Spiritus eius. Vi huius catholicitatis singulae partes propria dona ceteris partibus et toti Ecclesiae afferunt, ita ut totum et singulae partes augeantur ex omnibus invicem communicantibus et ad plenitudinem in unitate conspirantibus » (« De Eccl. », n. 13).

4) Ideo, « sancta et catholica Ecclesia, quae est Corpus Christi mysticum, constat ex fidelibus, qui eadem fide, iisdem sacramentis et eodem regimine in Spiritu Sancto organice uniuntur, quique in varios coetus hierarchia iunctos coalescentes, par-

ticulares Ecclesiae seu ritus constituunt» (Decr. « De Eccl. Orient. », n. 2).

5) Ad unitatem vero in multitudine constituendam, principium subsidiarietatis et coordinationis omnium Ecclesiarum inservit.

6) Exercitium donorum docendi et regendi, sacramentaliter collatorum, in communione hierarchica corporis Episcoporum residet.

7) Exercitium iurium, quae in baptismo fundatur, in communione fidelium, qua talium, constituitur, ab officio hierarchico coordinatum.

E) *De membris Ecclesiae:*

1) « Illi plene Ecclesiae societati incorporantur, qui Spiritum Christi habentes, integram eius ordinationem omniaque media salutis in ea instituta accipiunt, et in eiusdem compagine visibili cum Christo, eam per Summum Pontificem atque Episcopos regente, uniuntur, vinculis nempe professionis fidei, sacramentorum et ecclesiastici regiminis ac communionis » (« De Eccl. », n. 14).

2) De coniunctione Ecclesiae cum illis, qui, baptizati, christiano nomine decorantur, integram autem fidem non profitentur vel unitatem Communionis cum Successore Petri non servant: De communicatione in sacris.

3) Ecclesia agnoscit omnibus, qui recte efformatam sibi conscientiam profitentur, ius ut secundum illam Deum colant: a) De libertate religiosa; b) De tolerantia.

4) Ecclesiae autem est ius et officium ubique Evangelium Christi libere praedicandi.

F) *De Ecclesia et societate civili:*

1) De distinctione inter Ecclesiam et Societatem civilem.

2) Ecclesia est principium vitae socialis universae (cf. Pius XII, Allocutio mense Februarii 1946), quatenus homines societatem efformantes sunt membra Ecclesiae.

3) De relationibus quae inter Ecclesiam et Statum intercedere debent.

4) Ius Ecclesiae quoad institutionem et educationem iuventutis.

5) Ius Ecclesiae nativum ad bona temporalia acquirenda, possidenda et administranda ad finem sibi proprium assequendum.

6) De iure Ecclesiae libere sese regendi independenter a quacumque auctoritate civili.

Pars II

DE REGIMINE ECCLESIAE

A) *De constitutione hierarchica Ecclesiae:*

1) « Christus Dominus in Ecclesia sua varia ministeria instituit, quae ad bonum totius Corporis tendunt » (« De Eccl. », n. 18).

2) « Ipse enim, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, consecrationis missionisque suae per Apostolos suos, eorum successores, videlicet Episcopos participes efficit eosque in Ecclesia sua usque ad consummationem saeculi pastores esse voluit (n. 18), qui munus ministerii sui, vario gradu, variis subiectis in Ecclesia legitime tradiderunt. Sic ministerium ecclesiasticum divinitus institutum diversis ordinibus exercetur ab illis qui iam ab antiquo Episcopi, Presbyteri, Diaconi vocantur » (« De Eccl. », n. 28).

3) « Ut vero Episcopatus ipse unus et indivisus esset, Dominus beatum Petrum ceteris Apostolis praeposuit in ipsoque instituit perpetuum ac visibile unitatis fidei et communionis principium et fundamentum » (« De Eccl. », n. 18).

« Itaque Romanus Pontifex, ut successor Petri, est unitatis, tum Episcoporum tum fidelium multitudinis perpetuum ac visibile principium et fundamentum » (« De Eccl. », n. 23).

B) *De potestate suprema:*

1) *De Romano Pontifice:*

a) Romanus Pontifex, Beati Petri in primatu Successor, vi muneris sui, Vicarii scilicet Christi et totius Ecclesiae Pastoris, habet non solum primatum honoris, sed supremam et ple-

nam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam tum in rebus quae ad fidem et mores, tum in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent, quam potestatem ipse semper libere exercere valet (cf. can. 218 § 1 et « De Eccl. », n. 22).

b) Haec potestas est vere episcopalis, ordinaria et immediata tum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles, a quavis auctoritate independens (can. 218 § 2).

c) Ideoque, Romanus Pontifex Deo soli de eius exercitio reddere debet rationem. Ipse igitur a nemine hominum iudicari valet neque cuiquam ab eius sententia in rebus fidei et morum ad quamcumque auctoritatem patet recursus.

d) Romanus Pontifex, legitime electus, statim ab acceptata electione, obtinet, iure divino, plenam supremam iurisdictionis potestatem (can. 219).

e) Gravioris momenti negotia quae uni Romano Pontifici reservantur sive natura sua, sive positiva lege, *causae maiores* appellantur (can. 220).

f) Si contingat ut Romanus Pontifex renuntiet, ad eiusdem renuntiationis validitatem non est necessaria electorum aliorumve acceptatio.

g) Omnibus in ritibus, inter divina officia fieri debet a Patriarchis, Episcopis, ceterisque Hierarchis et omnibus clericis, commemoratio Romani Pontificis (can. 166 M. P. *Cleri sanctitati*).

2. De Collegio Episcopali seu Concilio Oecumenico :

a) Sicut statuente Domino, sanctus Petrus et ceteri Apostoli unum Collegium Apostolicum constituunt, pari ratione Romanus Pontifex, successor Petri, et Episcopi, successores Apostolorum, inter se coniunguntur (« De Eccl. », n. 22).

b) Membrum Corporis Episcopalis aliquis constituitur vi sacramentalis consecrationis et hierarchica communione cum Collegii Capite atque membris (« De Eccl. », n. 22).

c) Collegium Episcopale non intelligitur sensu stricte iuridico, scilicet de coetu aequalium, qui potestatem suam praesidi suo demandarent, sed de coetu stabili, cuius structura et auctoritas ex Revelatione deduci debent (« De Eccl. », Nota expl., n. 1).

d) Collegium Episcoporum auctoritatem non habet nisi simul cum Pontifice Romano, successore Petri, ut capite eius intelligatur, huiusque integra manente potestate primatus in omnes sive Pastores sive fideles (« De Eccl. », n. 22).

e) Ordo autem Episcoporum, qui Collegio Apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedunt, immo in quo Corpus apostolicum continuo perseverat, una cum Capite suo Romano Pontifice, et numquam sine hoc capite, subiectum quoque supremæ ac plenæ potestatis in universam Ecclesiam constituit, quæ quidem potestas non nisi consentiente Romano Pontifice exerceri potest.

f) Suprema huiusmodi in universam Ecclesiam potestas, qua istud Collegium pollet sollemni modo in Concilio Oecumenico exercetur (« De Eccl. », n. 22).

h) Romani Pontificis præerogativa est hæc Concilia Oecumenica convocare iisdemque præsidere et eadem confirmare (« De Eccl. », n. 22).

i) Eadem potestas collegialis una cum Romano Pontifice exerceri potest ab Episcopis in orbe terrarum degentibus, dummodo Caput Collegii eos ad actionem collegialem vocet, vel saltem Episcoporum dispersorum unitam actionem approbet vel libere recipiat, ita ut verus actus collegialis efficiatur (« De Eccl. », n. 22).

3. De Senatu, Consilio et Curia Romani Pontificis.

a) Sanctæ catholicæ Ecclesiæ Cardinales Senatum Romani Pontificis constituunt eidemque in regenda universa Ecclesia præcipui consiliarii et adiutores assistunt (can. 230).

b) Uni Romani Pontificis est Cardinales designare, creare eorumque iura, officia et privilegia determinare atque statuere.

c) De Consilio Romani Pontificis seu de Synodo Episcoporum: cf. Litt. Ap. « *Apostolica Sollicitudo* », diei 15 septembris 1965, in AAS 57 (1965), pp. 775-780.

d) Romanus Pontifex, ad munera pastoralia, quæ universam Ecclesiam spectant, facilius expeditiusque adimplenda, propriam Curiam constitutam habet.

e) Curia Romani Pontificis constat Sacris Congregationibus, Tribunalibus et Officiis.

C) *De potestate episcopali.*

1. *De Episcopis:*

a) Episcopi sunt Apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur, quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis.

b) Eos Romanus Pontifex libere nominat, aut legitime electos confirmat vel saltem agnoscit (can. 392 §§ 1-2, M. P. *Cleri sanctitati* et Decr. « De Eccl. Orient. », n. 9).

c) Episcopi singuli visibile principium et fundamentum sunt unitatis in suis Ecclesiis particularibus, ad imaginem Ecclesiae universalis formatis, in quibus et ex quibus una et unica Ecclesia catholica existit. Qua de causa singuli Episcopi suam Ecclesiam, omnes autem simul cum Romano Pontifice totam Ecclesiam repraesentant in vinculo pacis, amoris et unitatis (« De Eccl. », n. 23).

d) Singuli Episcopi, quatenus particularibus Ecclesiis praeficiuntur, regimen suum pastorale super portionem Populi Dei sibi commissam, non super alias Ecclesiae neque super Ecclesiam universalem exercent.

e) Inter praecipua Episcoporum munera eminent praedicatio Evangelii (« De Eccl. », n. 25).

f) Episcopi in communionem cum Romano Pontifice docentes ab omnibus tamquam divinae et catholicae veritatis testes venerandi sunt (« De Eccl. », n. 25).

g) Licet singuli praesules infallibilitatis praerogativa non polleant, quando tamen, etiam per orbem dispersi, sed communionis nexum inter se et successores Petri servantes, authentice res fidei et morum docentes in unam sententiam tamquam definitive tenendam conveniunt, doctrinam Christi infallibiliter enuntiant.

h) Episcopi insuper Ecclesias sibi commissas, ut vicarii et legati Christi regunt non solum consiliis, suasionibus, exemplis, verum etiam auctoritative et sacra potestate.

i) Haec Episcoporum potestas qua, nomine Christi personaliter funguntur, est propria, ordinaria et immediata, licet a suprema Ecclesiae auctoritate exercitium eiusdem ultimatim regatur et certis limitibus, intuitu utilitatis Ecclesiae vel fidelium, circumscribi possit. Vi huius potestatis Episcopi sacrum ius et officium habent in suos subditos leges ferendi, iudicium

faciendi, atque omnia quae ad cultus apostolatusque ordinem pertinent, moderandi (« De Eccl. », n. 27).

2. *De Presbyteris et Diaconis:*

Episcopi communitatis ministerium cum adiutoribus presbyteris et diaconis susceperunt, loco Dei praesidentes gregi, cuius sunt pastores, ut doctrinae magistri, sacri cultus sacerdotes, gubernationis ministri (« De Eccl. », n. 20).

I. a) *Presbyteri*, quamvis pontificatus apicem non habeant et in exercenda sua potestate ab Episcopis dependeant, cum eis tamen sacerdotali honore coniuncti sunt et vi sacramenti Ordinis, ad imaginem Christi, summi atque aeterni Sacerdotis, ad Evangelium praedicandum fidelesque pascendos et ad divinum cultum celebrandum consecrantur (« De Eccl. », n. 28).

b) Presbyteri, ordinis episcopalis providi cooperatores eiusque adiutorium et organum, unum presbyterium cum suo Episcopo constituunt, diversis quidem officiis mancipatum (« De Eccl. », n. 28).

II. a) In gradu inferiori hierarchiae sunt *Diaconi*, quibus non ad sacerdotium, sed ad ministerium manus imponuntur. Gratia etenim sacramentali roborati, in diaconia liturgiae, verbi et caritatis Populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inserviunt (« De Eccl. », n. 29).

b) Diaconi est, prout ei a competenti auctoritate assignatum fuerit, sollemniter baptismum administrare, Eucharistiam servare et distribuere, matrimonio Ecclesiae nomine adsistere et benedicere, Viaticum moribundis deferre, fidelibus sacram legere Scripturam, populum instruere et exhortari, fidelium cultui et orationi praesidere, sacramentalia ministrare, ritui funeris ac sepulturae ecclesiasticae praeesse (« De Eccl. », n. 29).

c) Ad competens varii generis territoriales Episcoporum coetus, approbante ipso Summo Pontifice, spectat decernere utrum et ubinam pro cura animarum huiusmodi diaconos, tamquam gradum hierarchicum permanentem institui opportunum sit (« De Eccl. », n. 29).

d) De consensu Romani Pontificis hic diaconatus viris maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferri potest, nec non iuvenibus idoneis, pro quibus tamen lex coelibatus firma remanere debet (« De Eccl. », n. 29).

D) *De ritibus seu Ecclesiis localibus* :

a) Divina Providentia factum est ut variae variis in locis ab Apostolis eorumque successoribus institutae Ecclesiae decursu temporum in plures coaluerint coetus, organice coniunctos, qui salva fidei unitate et unica divina constitutione universalis Ecclesiae, gaudent propria disciplina, proprio liturgico usu, theologico spiritualique patrimonio.

b) Inter quas aliquae, notatim antiquae Patriarchales Ecclesiae, veluti matrices fidei, alias pepererunt quasi filias, quibuscum arctiori vinculo caritatis in vita sacramentali atque in mutua iurium et officiorum reverentia ad nostra usque tempora connectuntur (« De Eccl. », n. 23).


c) Inter particulares Ecclesiae seu ritus mirabilis viget communio, ita ut varietas in Ecclesia universa nedum eiusdem noceat unitati, eam potius declarat atque indivisae Ecclesiae catholicitatem luculentius demonstrat (cf. Decr. « De Eccl. Orient. », n. 2 et « De Eccl. », n. 23).

d) Uniuscuiusque particularis Ecclesiae seu ritus traditiones salvae et integrae manere debent.

e) Huiusmodi particulares Ecclesiae, tum Orientis tum Occidentis, licet ritibus, ut aiunt, nempe liturgia, ecclesiastica disciplina et patrimonio spirituali partim inter se differant, aequali tamen modo conceduntur pastorali gubernio Romani Pontificis, qui Beato Petro in primatu super universam Ecclesiam divinitus succedit (Decr. « De Eccl. Orient. », n. 3).


f) Proinde eaedem pari pollent dignitate, ita ut nulla earum ceteris praestet ratione ritus atque iisdem fruuntur iuribus et tenentur obligationibus, etiam quod attinet ad Evangelium praedicandum in universo mundo, sub moderamine Romani Pontificis (Decr. « De Eccl. Orient. », n. 3).

fr. DANIEL FALTIN
Relator



RELATIO

SECUNDAE COMMISSIONIS PRAEPARATORIAE
CONSULTORUM PONTIFICIAE COMMISSIONIS
CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO
(CUM « ORDINE LABORUM » COMMISSIONIS)



RELATIO PRAELIMINARIS

Necessitas alicuius « Ordinis », quo labores Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo procedere debent, est in aperto.

In coetu plenario Consultorum, habito mense maio huius anni, electa fuit ab ipsis Consultoribus praesens Commissio ad hunc Ordinem redigendum.

Electi fuerunt :

Exc.mus D.nus *Ioseph Schneider*, Archiepiscopus Bambergensis;

Exc.mus D.nus *Petrus Palazzini*, a Secretis S. Congregationis Concilii;

Exc.mus D.nus *Vincentius Enrique y Taracon*, Archiepiscopus Ovetensis;

Exc.mus D.nus *Simon Lourdusamy*, Archiepiscopus tit. Philippensis, Coadiutor Bangalorensis;

Exc.mus D.nus *Henricus Maria Janssen*, Episcopus Hildesiensis;

Exc.mus D.nus *Michael Balaguer*, Episcopus tit. Castellominoritanus;

Exc.mus D.nus *Aurelius Sabattani*, Archiepiscopus tit. Iustinianensis, Delegatus Pont. et Praelatus Lauretanus;

Rev.mus D.nus *Albinus Galletto*, a Secretis Pont. Commissionis Communicationum Socialium;

Rev.mus D.nus *Achilles Glorieux*, a Secretis Commissionis Conciliaris de fidelium apostolatu;

Rev.mus D.nus *Ioseph Michael Pinto*, Vicarius Generalis Sancti Aegidii;

Rev.mus D.nus *Ioseph Sette*, Archipresbyter loci « Valdagno » in dioecesi Vicentina;

Rev.mus D.nus *Manik Muttukumaru*, e Curia Archiepiscopali Columbensi in Ceylon;

Rev.mus Pater *Petrus Huizing*, S. I., Professor iuris canonici in Universitate catholica Nimegensi.

Haec Commissio immediate habuit suam sessionem sub ductu Eminentissimi Cardinalis PETRI CIRIACI, Praesidis Commissionis Pontificiae a Summo Pontifice nominati.

Collatis consiliis de rationibus quae regere debuissent « Ordinem » exarandum, infrascripto Consultori, per secreta suffragia, collatum fuit munus Relatoris.

Receptis dein suggestionibus scriptis a pluribus Consultoribus, infrascriptus Relator exaravit « Ordinis » schema, quod propositum fuit Consultoribus Commissionis in sessionibus dierum 29 septembris et 5 octobris anni 1965, in pluribus emendatum, et dein adprobatum.

Haec sunt ipsius Ordinis summa lineamenta :

Tres coetus personarum, Codici revisendo adlaborantium, praevidentur :

a) *Em.morum Patrum Cardinalium*, praeunte Commissionis Em.mo Praeside, quibus superius iudicium reservatur de laboribus;

b) *Exc.morum vel Rev.morum Consultorum*, quibus onus incumbit redactionis alicuius partis Codicis, et insimul iudicium, utique inferius, circa ceteras partes;

c) *Collaboratorum*, qui in peculiaribus tantum argumentis operam navant.

Consultores conveniunt in *Commissiones Particulares* (art. 2 et 3) quibus aliqua pars Codicis recognoscenda tribuitur ab Em.mis Patribus Cardinalibus (art. 4), et in *Sub-Commissiones*.

Conveniunt etiam in Coetum Plenarium, moderante Em.mo Cardinali Praeside (art. 7), constitutum ad quaestiones maioris momenti enodandas, et ad probanda schemata Em.mis Patribus Cardinalibus proponenda (art. 32).

Magni momenti est *Commissio Coordinatrix*, quae complectitur Praesides singularum Commissionum Particularium, sub ductu Em.mi Cardinalis Praesidis Commissionis Pontificiae (art. 5).

Huius Commissionis Coordinatricis munera, partim in promovendo opere consistunt (art. 27 § 1), partim in redactione revisenda et pariformiter disponenda in proportione singularum partium (art. 27 § 2). Intervenit quoque in casibus maioris gravitatis (art. 21, 22, 23, 25), et fit trames necessarius in relationibus inter singulas Commissiones particulares.

Praevidetur *transmissio schematum ad Conferentias Episcopales* immediate postquam commissiones particulares partem sibi assignatam elaboraverint (art. 24). Ita, in successivis phasibus laboris, poterit ratio haberi quam maxima animadversionum Episcoporum. Imo Commissio Coordinatrix debet quoque iudicium ferre, utrum suggestiones Conferentiarum Episcopaliū sufficienter exceptae fuerint (art. 25).

Uti par est, coetui Em.morum Patrum Cardinalium competit semper iudicium definitivum in ambitu Commissionis.

Idque — notetur — non tantum circa schemata canonum, sed etiam circa quaestiones graviores (art. 39), quae in decursu laborum occurrere possint, ex. gr., de structura systematica Codicis, de novis institutis iuridicis introducendis, etc.

Sequitur textus « Ordinis ».

ORDO

QUO LABORES PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO PROCEDERE DEBENT

PARS PRIMA

CONSTITUTIO PONTIFICIAE COMMISSIONIS

Art. 1

Personae quibus constat

§ 1. Pontificia Commissio Codici Iuris Canonici recognoscendo constat:

a) Eminentissimo ac Reverendissimo S. R. E. Cardinali Praeside, ad hoc munus espressa a Summo Pontifice nominato;

b) Eminentissimis ac Reverendissimis S. R. E. Cardinalibus, a Summo Pontifice electis tamquam membris.

§ 2. Pontificiae Commissioni opus praestant Consultores ex omni mundi parte item a Summo Pontifice nominati.

§ 3. Laboribus Commissionis assistunt Collaboratores, qui in peculiaribus argumentis operam navabunt. Eos, secundum specificam cuiusque competentiam, Cardinalis Praeses designabit.

Art. 2

Commissiones particulares

§ 1. In ambitu Consultorum Pontificiae Commissionis particulares Commissiones constituuntur. Unicuique praesidet unus ex Consultoribus, ab Em.mo Cardinali Praeside, approbante Summo Pontifice, designatus.

§ 2. Commissio particularis, praeter Praesidem, determinatum numerum Consultorum complectitur, ab Em.mo Cardinali Praeside designatorum.

§ 3. In ambitu uniuscuiusque Commissionis, Subcommissiones constituuntur, prout ratio postulaverit; unicuique earum assignabitur Relator, a Consultoribus ipsius Commissionis particularis, per secreta suffragia, eligendus, et ab Em.mo Praeside Pont. Comm. confirmandus.

§ 4. Inter Consultores uniuscuiusque Commissionis particularis, unus, qui munere Secretarii fungatur, eligendus est. Commissio habeat suum adiutorem a studiis.

Art. 3

Commissionum constitutio

Commissiones particulares, quae in decursu laborum augeri vel minui possunt, interim constituuntur sequentes:

- 1) Commissio de systematica Codicis dispositione
- 2) Commissio de parte generali Codicis Iuris Canonici
- 3) Commissio de Clericis in genere et in specie
- 4) Commissio de Religiosis
- 5) Commissio de laicis et apostolatu laicorum
- 6) Commissio de Sacramentis
- 7) Commissio de Magisterio ecclesiastico, necnon de rebus sacris
- 8) Commissio de bonis Ecclesiae temporalibus
- 9) Commissio de processibus
- 10) Commissio de delictis et poenis.

Art. 4

Commissionum competentia

In praxi, unicuique Commissioni particulari ea praecise pars Codicis recognoscenda vel conficienda competit, quae a Commissione Eminentissimorum Patrum Cardinalium designabitur.

Art. 5

Commissio coordinatrix

§ 1. Ad labores omnium Commissionum coordinandos, Commissio coordinatrix instituitur. Eius proprium munus erit labores Commissionum particularium dirigere iuxta ea quae in Parte Secunda describuntur.

§ 2. Commissioni Coordinatrici Cardinalis praeses Pontificiae Commissionis moderatur. Commissio Coordinatrix omnes Praesides Commissionum particularium complectitur. Advocari in ea potest Relator illius Subcommissionis de cuius materia agitur.

§ 3. Commissionis Coordinatricis a secretis erit Secretarius generalis, cui aliqui Subsecretarii operam suam navabunt.

Art. 6

Praesides et Relatores

§ 1. Commissionis particularis Praesidis est inter Collaboratores illos determinare a quibus, pro eorum competentia, in argumentis specificis vota exquiri possint. Nihil tamen obstat quominus vota exquirantur a Consultoribus aliarum quoque Commissionum, vel etiam ab aliis quorum opus, ad quaestiones peculiare penitus illustrandas, utile perhibeatur.

§ 2. Eiusdem Praesidis erit labores Commissionis particularis ordinare, eosque inter Consultores et Collaboratores apte distribuere, referre ad proponenda et illustranda schemata Coetui plenario Consultorum, necnon Commissioni Coordinatrici.

§ 3. Relatores Sub-Commissionum, sub ductu tamen Praesidis Commissionis particularis, ea omnia disponere debent.

quae inserviant ad assignatum laborem probe exsequendum. Relationem de schematibus dispositis et de quaestionibus occurrentibus Relatores parare debent, quam, si advocati fuerint, exponere quoque per se poterunt in Commissione Coordinationis.

§ 4. Secretarius Commissionis particularis praesto sit Relatori operam navare.

Art. 7

Consultores

§ 1. Consultores, de quibus in art. 1 § 2 duplici modo conveniunt: a) in Coetus plenarios Consultorum moderante Em.mo Praeside Pontificiae Commissionis; b) in Commissiones particulares. Ius est Cardinalis Praesidis Pontificiae Commissionis Consultores in particulares Commissiones adscribendi.

§ 2. Praesides Commissionum particularium, secundum proprium agendi rationem, Consultores dirigunt in Schematibus parandis, expendendis et definiendis.

Art. 8

Collaboratores

§ 1. Collaboratores, qui peculiaria Vota conscripserint, in eorum discussionem vocari possunt a Praeside Commissionis qui eos designaverit.

§ 2. Vocari quoque possunt in Coetus Consultorum plenarios, si res agitur de qua Votum scriptum exaraverunt.

Art. 9

De Secretaria Generali

§ 1. Secretarius Generalis Cardinali Praesidenti operam navat; post conventus Pontificiae Commissionis Em.morum Cardinalium aut Coetus plenarios Consultorum, res gerendas, sibi praefinitas, exquiritur; tandem Commissionis acta sedulo colligenda, disponenda et asservanda curat.

§ 2. Aliquot Subsecretarii Secretarium Generalem adiuvant eundemque absentem vel impeditum supplent.

§ 3. Adiutores studii, moderantibus Em.mo Praeside et Secretario Generali, in auxilium laborum, qui Commissionis proprii sunt, operam suam navant.

Art. 10

Dependentia a Cardinali Praeside

Secretarius Generalis, Subsecretarii, Praesides Commissionum particularium, earundemque Secretarii, adiutores a studiis, scriptores, necnon assistentes, suo quisque munere fungitur sub auctoritate Cardinalis Praesidis.

Art. 11

Bibliotheca

§ 1. Pontificiae Commissioni praesto sit Bibliotheca, quae libros complectitur utiles ad opus codificationis iuvandum, et Consultorum necnon Collaboratorum labores faciliores, quantum poterit, reddendos.

§ 2. Bibliothecam dirigit Bibliothecarius. Eius munus erit librorum aptam distributionem curare, cathalogos colligere, schedas conscribere, novos libros procurare.

Art. 12

Archivum

§ 1. Archivum Pontificiae Commissioni constat:

- a) Archivo Pontificiae Commissionis pro Codificatione Iuris Canonici;
- b) Archivo Pontificiae Commissionis Interpretum Codicis Iuris Canonici;
- c) Archivo Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo.

§ 2. Archivum curat Archivarius. In Archivo omnia et singula documenta per opportunum siglorum usum et distributionem, secundum modernas archivorum formas, accurate ordinateque custodiantur.

PARS SECUNDA
DE RATIONE PROCEDENDI

SECTIO I

GENERALIA CIRCA RATIONEM PROCEDENDI IN COMMISSIONE

Art. 13

Conventuum tempora

§ 1. Conventus Eminentissimorum Sodalium Pontificiae Commissionis opportuno tempore significatur. Intimatio singulis membris fiat oportet per epistolam ab Eminentissimo Praeside subscriptam et a Secretario Generali.

§ 2. Commissio Coordinatrix, de qua in art. 5, conveniet quotiescumque ad munus sibi proprium explendum necessarium aut opportunum appareat.

§ 3. Coetus Consultorum plenarium ab Eminentissimo Praeside Pontificiae Commissionis statuto tempore indicitur.

§ 4. Commissiones particulares conveniunt tempore a singularum Praesidibus designato, saltem bis in mense.

Iuxta labores et studii exigentias frequentius quoque convenire possunt tam omnes Commissionis particularis sodales, quam in Sub-commissiones distribuiti.

Intimatio sodalibus fit a Praeside, vel, si de Sub-commissione agitur, a Relatore de consensu Praesidis, nisi ordo habendi conventus alio modo innotuerit.

Art. 14

Conventuum loca

§ 1. Eminentissimorum Patrum Cardinalium conventus in Aula Congregationum Palatii Apostolici Vaticani locum habent.

§ 3. Commissio Coordinatrix, necnon Commissiones particulares in Aedibus Pontificiae Commissionis suos habent conventus.

§ 3. Coetus Consultorum plenarius vel in Aedibus Commissionis, vel in peculiaribus locis, ad hoc praefinitis, habebitur.

Art. 15

De secreto servando

De iis, quae in diversis Pontificiae Commissionis gradibus agenda vel acta sunt (argumenta in casu tractanda, discussiones habitae, sententiae a singulis prolatae, acta) secretum servari debet.

Art. 16

De lingua in Commissionibus adhibenda

In Commissionum disceptationibus, praeter linguam latinam, adhiberi possunt communiores linguae vernaculae, sed quae in iis linguis expressa sunt, statim in linguam latinam sunt vertenda.

Art. 17

De actis redigendis, subscribendis atque custodiendis

In sessione cuiuslibet gradus acta redigere curabit qui in eadem Secretarii munere fungitur. Nisi Commissio ipsa acta revidere atque approbare voluerit, ea, postquam a Praeside recognita atque approbata fuerint, a Secretario subscribuntur. Eorum authenticum exemplar in Archivo Pontificiae Commissionis custodietur.

SECTIO II

DE RATIONE PROCEDENDI IN COMMISSIONIBUS PARTICULARIBUS

Art. 18

Munus Commissionum particularium

§ 1. Commissionis particularis est designatam sibi partem examini subicere: utrum videlicet, in ea aliquid addendum, vel demendum, vel immutandum sit; aut de novo redigenda videatur.

§ 2. Hac de re, sicut in ceteris laboris studiis, methodus adhibeatur sequens: duo nempe Consultores specialiter periti, a

Praeside eiusdem Commissionis designati, Votum seu Consilium ad argumentum propositum delibandum, intra congruum tempus, scripto proponent. Vota dein iudicio et deliberationi totius Commissionis particularis submittantur.

§ 3. Ad suffragia ferenda adhibetur formula: *placet, non placet, placet iuxta modum*. Qui suffragium dederit: *placet iuxta modum*, tenetur modum clare et concinne scripto tradere.

Art. 19

Methodus servanda

A conspectu generali argumentorum Commissioni assignatorum incipiatur oportet, cum rubricis sectionum, titulorum, capitum et articulorum bene stabilitis. Inde ad canonum schemata apte redigenda.

Art. 20

Ratio procedendi in Sub-commissionibus

§ 1. Ratio procedendi in Sub-commissione eadem fere sit quae supra in Art. 18 describitur.

§ 2. Si de quaestione controversa agitur, ad calcem Schematum sententiae oppositae exponantur cum brevi earundem motivatione, necnon cum nominibus Consultorum qui uni alterive sententiae adhaereant.

Art. 21

De ratione procedendi in quibusdam casibus

§ 1. Quotiescumque exurgat quaestio de loco aut sede quam determinatum argumentum in Codice obtinere debeat, ea, annuente Pontificiae Commissionis Praeside, ad Commissionem Coordinatricem per Secretariam Generalem deferatur.

§ 2. Secretaria Generalis, auditis aliis Commissionibus quarum interest, *positionem* compilabit, in qua rationes breviter exponantur in diversas sententias militantes, ac Vota quae super eandem rem scripta sint.

§ 3. Pontificiae Commissionis Praeses mentem suam aperiens manifestabit si et quatenus Commissio coordinatrix per Secretariam Generalem sit convocanda, quae quaestionem dirimere valeat.

Art. 22

De novis argumentis tractandis

§ 1. Si de novo instituto Codici addendo agatur, id Commissioni coordinatrici significari debet. Ad novum argumentum proponendum ea Commissio particularis competens est, quae materiam pertractat peculiariter cum eodem connexam.

§ 2. Pro quaestione solvenda, necnon Commissione assignanda cui tractatio novi argumenti committi debeat, ratio procedendi eadem sit quae in art. 21 proponitur.

Art. 23

De Commissionibus specialibus

§ 1. Quoties institutum aliquod iuridicum vicens in hodierno Codice Iuris Canonici, aut abolendum, aut penitus transformandum vel innovandum censeatur, Commissio particularis id indigitans tenetur rem cum Commissione coordinatrice communicare. Huius erit quaestionem studio subicere Commissionum quarum interest, deinde decisionem efformare eamque cum omnibus Commissionibus particularibus communicare.

§ 2. Dubia vel quaestiones hac de re exsurgentes peculiari ratione tractentur, non exclusa constitutione specialis cuiusdam Commissionis, quae illarum solutiones Commissioni coordinatrici offerre valeat.

§ 3. Commissiones speciales ad determinata argumenta examinanda constitui nequeunt absque praevio Pontificiae Commissionis Praesidis consensu. Hic vero Praesidem Commissionis specialis nominabit, eiusdem membra designabit cum officialibus, atque rationem procedendi praestituet.

Art. 24

De transmissione Schematum ad Conferentias Episcopales

§ 1. Postquam Commissiones particulares partem sibi assignatam elaboraverint, Cardinalis Praeses Pontificiae Commissionis, audita Commissione coordinatrice et approbante Summo Pontifice, ad Conferentias Episcopales eam mittent.

§ 2. Conferentiae Episcopales invitantur ut, intra determinatum tempus, animadversiones suas Secretariae Generali Pontificiae Commissionis remittant.

§ 3. Secretaria Generalis eas cum Commissione competente communicabit.

Art. 25

Retractatio Schematum

Commissio particularis, libratis animadversionibus Conferentiarum Episcopalium, Schemata retractabit. Dein vero Schemata retractata una cum animadversionibus Conferentiarum Episcopalium Commissioni coordinatrici examinanda tradentur.

SECTIO III

DE RATIONE PROCEDENDI IN COMMISSIONE COORDINATRICE

Art. 26

A quo et quandonam cogenda

§ 1. Commissionem coordinatricem convocat Praeses, qui est Eminentissimus Praeses Pontificiae Commissionis, quoties id necessarium vel opportunum censuerit.

§ 2. In casibus de quibus in articulis 21, 22, 23, 25 Commissio coordinatrix necessario cogenda est.

Art. 27

Munera Commissionis coordinatricis

§ 1. Commissionis coordinatricis est: a) *principia* enucleare in opere recognitionis adhibenda; b) *finem* seu *scopum* recognitionis definire; c) invigilare ut *spiritus* novae legislationis pariformiter servetur; d) novi Codicis *structuram systematicam* secundum exigentias progressus legislativi determinare; e) *stylum* canonum iuridice exactum curare.

§ 2. In Schematibus revidendis Commissioni coordinatrici spectant: a) iudicare de proprietate et significatione verborum;

b) aestimare repetitiones forsitan in diversis Schematibus existentes; c) cavere ut cohaerentia doctrinae et disciplinae inter partes Codicis habeatur; d) perpendere aequam ac debitam proportionem unicuique instituto, iuxta indolem argumenti, in legislatione servandam.

Art. 28

Modus procedendi

Pro singulis huius Commissionis conventibus Secretaria Generalis *positionem* praeparabit, in qua argumentum disceptandum proponetur, vota quaestionem illustrantia et scripto exarata adiiciantur, animadversiones, si quae opportunae videantur, ex officio fiant.

Art. 29

De discussionibus habendis

Commissionis coordinatricis sodalibus, moderante eiusdem Praeside, ius est rem, de qua agitur, priusquam suffragium proferant, discutere, sententiam suam manifestare rationibus fulciendam. Ad definiendam quaestionem suffragium sodalium est deliberativum.

Art. 30

De animadversionibus Conferentiarum Episcopaliū

Commissio coordinatrix aestimabit, postquam Schemata ad normam art. 25 retractata fuerint, utrum animadversiones Conferentiarum Episcopaliū ex parte Commissionum particularium sufficienter consideratae sint.

SECTIO IV

DE RATIONE PROCEDENDI IN CONVENTIBUS CONSULTORUM PLENARIIS

Art. 31

De praesidentia in conventibus Consultorum plenariis

Conventibus Consultorum plenariis praesidet Eminentissimus Cardinalis Pontificiae Commissionis Praeses, cui Secretarius generalis assistit.

Art. 32

Quandonam convocandi

Conventus plenarii Consultorum, praehabito consensu Commissionis coordinatricis, sequentibus casibus convocandi erunt:

- a) ad quaestiones generales solvendas;
- b) ad quaestiones maioris momenti examinandas et resolvendas, quae structuram totius Codicis spectant;
- c) ad sententiam proferendam circa Schemata quae notabilem Codicis partem, ad nutum Eminentissimi Commissionis Praesidis, constituent;
- d) ad Schemata probanda quae Pontificiae Commissioni Eminentissimorum Cardinalium proponenda videantur.

Art. 33

De eorundem frequentia

Conventus plenarii Consultorum indicentur aliquoties in anno, prout Eminentissimus Praeses Pontificiae Commissionis, ad normam praecedentis articuli, censuerit.

Art. 34

De quaestionibus vel Schematibus Consultoribus mittendis

Quaestiones vel Schemata in sessione plenaria examinanda singulis Commissionis Consultoribus a Secretaria Generali tempestive mittenda sunt.

Art. 35

De Consultorum animadversionibus

Consultores, qui de propositis quaestionibus in sessione loqui velint, ante quindecim dies nomina sua cum Secretaria Generali communicare debent. Expedit quam maxime ut de argumento quod evolvere desiderant Secretariatus Generalis in antecessum certior fiat.

Art. 36

De Schematum correctione

§ 1. Absoluta de aliquo Schemate vel de eius parte expositione et discussione, Praeses decernit propositas emendationes competenti Commissioni particulari esse mittendas.

§ 2. Si quae emendationes duarum vel plurium Commissionum intersint, Praeses statuit a quibus examen confici oporteat; quo in casu Commissioni mixtae praesunt, iuxta praecedentiae normas, Praesides Commissionum partem habentium.

Art. 37

De suffragatione Schematum

Circa Schemata sic emendata atque a Commissione coordinatrice iterum recognita, audiatur coetus plenarius Consultorum, qui votum suum per suffragium ferat.

SECTIO V

DE RATIONE PROCEDENDI IN COMMISSIONE PLENARIA
EMINENTISSIMORUM PATRUM CARDINALIUM

Art. 38

Convocatio

Conventus plenarios Eminentissimorum Patrum Pontificiae Commissionis, auctoritate Summi Pontificis, Cardinalis eiusdem Commissionis Praeses convocabit.

Art. 39

Schematum transmissio

Quaestiones vel Schemata Conventus plenarii iudicio et definitioni aut approbationi submittenda, Patribus Cardinalibus tempestive communicari debent.

Art. 40

Deliberationum praesentatio Summo Pontifici

Commissionis Cardinalium deliberationes, una cum animadversionibus et discussionis argumentis, per Praesidem Summo Pontifici deferuntur.

Romae, die 15 octobris a. 1965.

† AURELIUS SABATTANI
Archiepiscopus tit. Iustinianensis
Relator

RELATIO

TERTIAE COMMISSIONIS PRAEPARATORIAE
CONSULTORUM PONTIFICIAE COMMISSIONIS
CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO



RELATIO PRAELIMINARIS

Tertia Commissio Praeparatoria Consultorum Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo constituta est intra primam sessionem eorundem Consultorum die 6 mensis maii Romae habitam. Ipsa 15 Consultoribus constat, qui sunt:

1. Exc.mus D.nus *Philippe Paulus*, Archiepiscopus tit. Heracltopolis Magnae, Secretarius S. Congreg. Religiosorum - Romae;
2. Exc.mus D.nus *Sarmiento Peralta Raphael*, Episcopus Ocaniensis - Colombia;
3. Exc.mus D.nus *Kaldany Ioannes*, Episcopus tit. Gabenus - Ierusalem;
4. Rev.mus D.nus *Filipiak Boleslaus*, Auditor S. Rotae Romanae - Romae;
5. Rev.mus D.nus *Mattioli Petrus*, Auditor S. Rotae Romanae - Romae;
6. Rev.mus D.nus *Cremin Patricius Franciscus*, Professor Iuris Canonici in St. Patrick's College, Maynooth - Irlanda;
7. Rev.mus D.nus *Chen-Tao Che Vincentius*, Addictus Ecclesiasticus penes Legationem Sinensem - Romae.
8. Rev.mus Pater *Beste Udalricus*, O. S. B., Professor Iuris Canonici in Athenaeo S. Anselmi - Romae;
9. Rev.mus Pater *Berruti Christophorus*, O. P., Professor Iuris Canonici in Pont. Universitate S. Thomae - Romae;
10. Rev.mus Pater *Ledwolorz Adolfus*, O. F. M., Professor Iuris Canonici in Athenaeo S. Antonii - Romae;
11. Rev.mus Pater *O'Connell Vilelmus*, O. F. M., Professor Iuris Canonici in Athenaeo S. Antonii - Romae;
12. Rev.mus Pater *Regatillo Eduardus*, S. I., Professor Iuris Canonici in Pont. Universitate de Comillas - Hispania;
13. Rev.mus Pater *Leite Antonius*, S. I. Professor Iuris Canonici - Lusitania;

14. Rev. mus Pater *Rousseau Ioseph*, O. M. I., Secretarius Commissionis Conciliaris de Religiosis - Romae;

15. Rev. mus D. nus *Fogliasso Aemilius*, S. D. B., Professor Iuris Canonici in Athenaeo Salesiano - Romae.

Isti Consultores tanquam Relatorem elegerunt Rev. mum Patrem Iosephum Rousseau, O. M. I.

Litteris diei 12 mensis iunii huius anni Relator singulorum membrorum sententias in materia Commissionis exposulavit, quae sententiae, scripto transmissae, in sessionibus die 20 et 23 transacti mensis septembris Romae habitis, disceptationi subiectae sunt.

I

DIVISIO MATERIAE

Post longam et accuratam discussionem, per decem (10) suffragia contra duo (2), duodecim (12) membris praesentibus, approbatum est schema divisionis materiae in undecim quae sequuntur sectiones:

I SECTIO: <i>Normae Generales:</i>	Lib. I	cc.	1-86
<i>De Personis:</i> in Gen.	Lib. II	cc.	87-107
<i>De Clericis:</i> in Gen.	Lib. II	cc.	108-214
	Summa	cc.	214
II SECTIO: <i>De Clericis:</i> in Spec.	Lib. II	cc.	215-486
	Summa	cc.	272
III SECTIO: <i>De Religiosis:</i>	Lib. II	cc.	487-681
	Summa	cc.	195
IV SECTIO: <i>De Laicis:</i> (cum nova materia de laicis)	Lib. II	cc.	682-725
	Summa	cc.	44

V SECTIO: <i>De Rebus:</i>	in Gen. Lib. III	cc. 726-730
	<i>De Sacramentis:</i>	Lib. III cc. 731-1153
	Summa	cc. 428
VI SECTIO: <i>De Locis et Temp.:</i>	Lib. III	cc. 1154-1254
	<i>De Cultu Divino:</i>	Lib. III cc. 1255-1321
	Summa	cc. 168
VII SECTIO: <i>De Magisterio Eccl.:</i>	Lib. III	cc. 1322-1408
	Summa	cc. 87
VIII SECTIO: <i>De Beneficiis Eccl.:</i>	Lib. III	cc. 1409-1488
	<i>De aliis Institut.:</i>	Lib. III cc. 1489-1494
	<i>De Bonis Temporalibus:</i>	Lib. III cc. 1495-1551
	Summa	cc. 143
IX SECTIO: <i>De Iudiciis:</i>	Lib. IV	cc. 1552-1998
	Summa	cc. 447
X SECTIO: <i>De Beatif. et Canoniz.:</i>	Lib. IV	cc. 1999-2141
	Summa	cc. 143
XI SECTIO: <i>De nonnullis Negotiis:</i>	Lib. IV	cc. 2142-2194
	<i>De Delictis et Poenis:</i>	Lib. V cc. 2195-2414
	Summa	cc. 273

OMNES CANONES: 2414

Istis Sectionibus addicti erunt qui specialem pro eis competentiam habent, non solum ex Consultoribus Commissionis Iuris Codicis recognoscendo selecti sed etiam alii, prout necessarium fuerit, Iuris Canonici vere periti.

In praedicto divisionis schemate iudicando, ratio habenda est novae materiae sive ex Iurisprudencia sive ex actis et votis Concilii Oecumenici Vaticani II hauriendae. Quod spectat vero ea quae a Concilio Oecumenico ad Pontificiam Commissionem Codici Iuris Canonici recognoscendo remissa sunt aut remittentur, aggreganda seu addenda erunt quaestionibus seu argumentis similibus a peculiaribus coetibus tractandis. De cetero, recensenda erunt Concilii Constitutiones et Decreta necnon ea quae a Commissionibus eiusdem praeparatoriis et conciliariis elaborata sunt. Ita, praevideatur integra legislatio condenda de Laicis, paucioribus canonibus qui illos respiciunt addenda; pariter dicendum de Institutis Saecularibus, in quibus authentica professio Consiliorum Evangelicorum in saeculo emittitur ad normam Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia* diei 2 februarii 1947.

Demum notare oportet hanc divisionem materiae esse mere *practicam*, ad labores in Codice recognoscendo expendendos inter Commissiones apte distribuendos et ordinandos. Minime praeiudicat futuri Codicis ordinationi ad quam studia peragenda conducere possent.

II

INSTITUTIO ET ORDINATIO COMMISSIONUM PECULIARIUM

Materia hodierni Codicis Iuris Canonici in sectiones divisa, Commissio transit ad Commissiones Peculiares instituendas, quibus singulis singulae sectiones Codicis pro studio et textu apparando committendae sunt.

Duo praecipua considerat: compositionem et ordinationem singularum Commissionum et cooperationem inter se quoad materias mixtas.

A) COMPOSITIO ET ORDINATIO COMMISSIONUM PECULIARIUM

Commissiones Peculiares, ut dictum est supra, totidem oportet esse quot sunt sectiones materiae Codicis. Munus habent materiam sibi assignatam amplissimo diligentique studio subii-ciendi atque novi Codicis textum apparandi, subinde iudicio Commissionis Em.morum Cardinalium deferendum.

Ad tale munus rite et efficaciter exercendum, Commissio censuit illas esse componendas et ordinandas iuxta normas sequentes:

1° - Unaquaeque Commissio Peculiaris constet non minus quam decem (10) et non multo plus quam quindecim (15) Consultoribus pro sua cuiusque competentia peculiari necnon in universo Codice generali selectis.

2° - Unaquaeque Commissio proprium habeat Praesidem, Vicepraesidem, Secretarium et officiales.

3° - Unaquaeque Commissio dividi potest, pro rei opportunitate, in parvos coetus seu subcommissiones Consultorum, e quibus unus fungatur munere Relatoris.

4° - Idem Consultor pluribus Commissionibus adscribi poterit et, occasione data, etiam alicui Commissioni non suae operam praestare.

Liceat has normas ad mentem Commissionis paululum elucidare.

Ad 1^{am}: Numerus minimus decem (10) Consultorum retinetur necessarius proficuo de singulis argumentis studio et fructuosis deliberationibus, ita ut, quantum libet, nullus eorum aspectus nullaque ratio attentionem effugiat atque textu quam accuratissime exaretur. Attamen non multo plus quam quindecim (15) sint, ne copia sententiarum et prolixitate disceptationum labor obruatur, enervetur vel longius aequo protrahatur in damnum boni effectus intenti. Superfluum tandem est monere qualitatem plus quam numerum Consultorum esse inquirendam.

Ad 2^{am}: Numerus secundus nihil speciale statuit. Quaevis enim Commissio habere debet suum Praesidem qui operam ordinat et moderatur, Vicepraesidem qui Praesidem adiuvat eumque absentem supplet et Secretarium pro actis et documentis Commissionis exscribendis ac asservandis necnon requisitis ad labores impendendos procurandis. Praeterea, adiungi possunt administri, hic officiales appellati.

Ad 3^{am}: In Commissionibus, specialiter illis quae sunt a studiis, subcommissiones seu parvi coetus studiosorum instituuntur ad argumenta praeparanda ut haec in consessu plenario expeditius securiusque tractari ac definiri possint. Singulis Commissionibus Peculiaribus relinquitur providere hac de re prout sibi opportunum visum fuerit.

Ad 4^{am}: In numero quarto Commissio non intendit normam fixam statuere; vult tantum indicare id quod quandoque utiliter fieri posset.

B) COOPERATIO PLURIUM COMMISSIONUM IN MATERIIS MIXTIS

Quaestiones, etsi alicui determinatae Commissioni recte assignatae, haud raro alterius Commissionis competentiam tangunt vel in eiusdem materiam redundant. Inde necessitas has quaestiones mixtas communi consilio tractandi; ideo, Commissio censuit sequentem normam proponere:

Quaestiones quae sub aliquo aspectu plures tangunt Commissiones Peculiares, communi consilio tractentur secundum rationem a Praesidibus harum Commissionum concordanter definitam.

Subintelligitur quidem huiusmodi consilium commune instituendum esse cum auctoritativo quoque interventu Commissionis Centralis de qua infra erit sermo.

III

INSTITUTIO COMMISSIONUM SPECIALIUM

A) COMMISSIO CENTRALIS CONSULTORUM

Recognitio Codicis Iuris Canonici ad *opus unum* tendit, scilicet, unum Codicem conficiendum qui universum Ecclesiae Latinae ius recognitum contineat per modum unius Legis promulgatum.

Ad hanc perfectam operis unitatem procurandam haud suffiunt Commissiones Peculiares segregatim pro sua competentia adlaborantes, nisi earum multiplex et aliquantulum dispersa operositas aliquo principio unitatis dirigatur et ordinetur.

Sane, huiusmodi principium unitatis praestat Commissio Em.morum Cardinalium; attamen, priusquam schemata eius iudicio deferantur, valde expedit ut ipsa, concordi opera Commissionum, iam inter se bene sint consonantia atque exoptatae Codicis unitati plane respondeant.

Convenit quidem ut haec Commissio Centralis, ad debitam

unitatem intimius fovendam instituta, sit sub suprema directione Eminentissimi Cardinalis, quem Summus Pontifex Praesidem Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo nominavit.

B) COMMISSIO LATINITATIS

Materia novi Codicis accurato studio digesta ac ordinata, est lingua latina apte exprimenda, scilicet, maxima cum fidelitate sermonis, proprietate terminorum, perspicuitate sententiarum facili cursu concinnatarum cum stylo tanto operi summaeque auctoritati a qua procedit apprime digno et consentaneo, ita ut mens Supremi Legislatoris Ecclesiae nitido ac expolito textu exacte, clare et egregie eluceat.

Sane, cuiuslibet Commissionis officium est curare ut schemata optima lingua latina scribantur, opera peritorum huius linguae ex suis membris adhibita vel latinistis in auxilium adscitis. Attamen, necessaria est specialis Commissio quae super Commissiones Peculiares hac in re vigilet, ut schemata optime exscribantur et etiam ut in conceptibus exprimendis et stylo utendo inter se perfecte cohaereant.

Ad hoc exoptatum effectum consequendum, haud sufficit opera, etsi praeclarissima et diligentissima, peritorum linguae latinae classicae. Etenim, conceptus et sensus iuridico-canonicus sunt exprimendi lingua etiam technica, vitando ne improprietate terminorum, translatis elocutionibus et nimio studio litterario, res perperam tradantur et mens Legislatoris, in qua est tota lex, detorqueatur, enervetur aut obscuretur.

Propterea cultura linguae classicae, hoc in casu, culturae linguae iuridicae canonicae societur oportet, sive in eadem persona, sive saltem amica alterutrius disciplinae peritorum cooperatione.

His perpensis Commissio conclusit:

1° - Instituatur Commissio Latinitatis ad textus a Commissionibus exaratos recognoscendos, ex peritis linguae latinae Membris Commissionum Peculiarium composita, qui significationi verborum et stylo propriis linguae canonicae adhaereant.

2° - Haec Commissio quosdam Latinistas pro opportunitate consulat.

3° - Commissio Latinitatis Commissioni Centrali Consultorum subordinetur.

C) ALIAE COMMISSIONES SPECIALES PRO OPPORTUNITATE
INSTITUENDAE

In complementum ordinis Commissionum, proponitur sequens norma:

Aliae Commissiones speciales instituantur quandocumque id expedire visum fuerit.

Nihil plus de hac re determinari potest, cum huiusmodi Commissionum specialium institutio et forma a futuris adhuc ignotis pendeat adiunctis.

Sufficit modo principium agnoscere: Commissioni Centrali erit singulis in casibus providere.

Hae sunt rationes et conclusiones Tertiae Commissionis Praeparatoriae Consultorum circa divisionem materiae hodierni Codicis Iuris Canonici in Sectiones et Commissiones a studiis instituendas, sapientiori iudicio et superiori auctoritati Commissionis Em. morum Cardinalium omni cum obsequio subiectae.

IOSEPH ROUSSEAU, O. M. I.
Relator

I N D E X

<i>Quaestiones fundamentales: Relatio generalis</i>	3
Dubia	5
<i>Relatio Primae Commissionis Praeparatoriae Consultorum Pontificiae Commissionis Codicis Iuris Canonici recognoscendo</i> . . .	7
I. Relatio praeliminaris	9
II. De hypothesis unius vel duplicis Codicis et de Codice fundamentali	11
Conclusio	22
III. Delineatio Iuris Constitutionalis Ecclesiae	23
<i>Relatio Secundae Commissionis Praeparatoriae Consultorum Pontificiae Commissionis Codicis Iuris Canonici recognoscendo</i> . .	33
Relatio praeliminaris	35
Ordo quo labores Pontificiae Commissionis Codicis Iuris Canonici recognoscendo procedere debent	37
<i>Relatio Tertiae Commissionis Praeparatoriae Consultorum Pontificiae Commissionis Codicis Iuris Canonici recognoscendo</i>	51
Relatio praeliminaris	53
I. Divisio materiae	54
II. Institutio et ordinatio Commissionum peculiarium	56
III. Institutio Commissionum specialium	58

